IN FUNERE

LAURENTII E PONTE

P. V. EPISCOPI CENETENSIS

ORATIO

HABITA A JOANNE BAPTISTA MODOLINI,

ET

NICOLAO E PONTE FRATRI

SENATORI AMPLISSIMO

DICATA.

CENETÆ CIƆIƆCCLXVIII.
Typis Jo: Dominici Cagnani
Superiorum Permissu.

NICOLAO E PONTE

SENATORI AMPLISSIMO

Archidiaconus, & Canonici Eccl. Cenetensis

F.

EXcessit e vivis (proh dolor!) Senator amplissime, Frater tuus, Episcopus noster, Laurentius e Ponte, Præsul summus, & excessit prima senectute, quem extrema etiam sublatum propter singulares virtutes mors semper immatura ra-

rapuisset. Quantum doloris ceperimus omnes ex ejus acerbo interitu, cognoscere potes ex tuo non minus, quam ex ingenti jactura, quam passi sumus, nos præcipue, quibus frequentius ille, & familiarius utebatur, ex quo ipsius dotes perspicere facilius, & ejusdem benevolentiam experiri sæpius poteramus. Funebri Laudatione parentandum optime de nobis merito Præsuli curavimus, ipso etiam, qua erat animi modestia, interdicente, ut tanti Viri non solum infixa animis, sed etiam monumentis litterarum concredita memoria remaneret. Illam mittimus ad Te, tuum præseferentem nomen, cui maxime debebatur propter maximam cum illo cognationem, propter Fraternæ virtutis hæreditarium jus, atque morum similitudinem, ratione quidem vitæ discrepantium, non integritate, aut benefactis. Accessit Liberalitas tua, qua ratam voluisti tuo suffragio munificam Fratris voluntatem: neque Tu, ut ex ejus etiam morte reportarent alij beneficia, veritus es de tuo jure decedere. Non tamen

hu-

humaniter factum visum est, hanc ante Laudationem ad Te mittere; ne doloris tui recentis nimis acerbitas renovaretur, atque citius retractatum vulnus, satis nondum obducta cicatrice, & obfirmata, recrudesceret. Habes observantiæ in Te nostræ specimen, Senator Amplissime, exiguum quidem, si spectes opusculum, maximum vero, si illius argumentum: Suppetias feret promeritorum in nos Fratris, & tuorum recordatio, nullo interitura tempore: cætera, justi benefactorum æstimatores, cumulatissime dabunt superi. Vale. Id. Septemb. CIↃIↃCCLXVIII *Cenetæ.*

In funere Laurentii e Ponte P. V. Episcopi Cenetensis

Oratio.

QUonam meo misero fato fieri dicam, Viri Reverendissimi, Seviri Spectatissimi, Auditores Ornatissimi, ut qui solebam quotannis coram vobis de aliqua litteraria quæstione habere sermonem, & Amplissimi Antistitis dignitate decorari, hodierna die eidem, infelici casu nobis erepto, parentare debeam funebri Oratione, atque ejus jam extincti aspectu tantum perturbari, & deprimi, quantum ipsius viventis præsentia erigi poteram, & recreari. Quamquam enim communis omnium dolor sit, quorum est

communis jactura; licet tamen aliis defixos animos tenere silentio, corde premere mœrorem, aut illum solo luctu, & gemitu exprimere: mihi vero dicendi munus delatum est, cujus mens obstupescit in ipso argumento, atque voces interceptæ suspiriis, ejulantis potius futuræ sint, quam dicentis. Quocunque enim oculos verto, quocunque cogitatum defigo; non nisi doloris, & luctus signa video, quæ sicuti defuncti Antistitis virtutes, & Civium indicant benevolentiam, ita magnitudinem calamitatis, & animorum tristitiam ostendunt: ut omnia magis ad fletus, & querelas impellere, quam ad dicendum invitare videantur. Sentio enim, Collegium illud Canonicorum præstantissimum, totumque Ecclesiasticum Cœtum quærere Episcopum suum tam sedulum, tam ferventem in sacris curandis: sentio, Cives quærere publicarum rerum Curatorem tam providum, tamque sollicitum in Civili Regimine: sentio tantam inopum, & miserorum Catervam, quærere Patrem

tam

tam frequentem, & liberalem in ſua levanda calamitate. Parietes audio ampliſſimæ hujus Ædis, ejus opibus non minus, quam cura extructæ, quibus poſſunt vocibus, ſuos exprimere ejulatus, atque nos omnes de itineribus ab illo ſuſceptis, de Urbe, & Diœceſi tota, ſua cauſſa, ſæpe luſtrata, de ſtipe flagitata oſtiatim, de collecta, de ſua ingenti jactura commonefacere. Equidem in iſta tanta, tamque juſta mœſtitia, inter tot fletus, & ſuſpiria, inter lugubres hujus Templi apparatus, in meditatione tantæ calamitatis, Antiſtes Optime, Optime Pater, exangue illud, frigidumque corpus, quod nobis de Te ſolum relictum eſt, non de tuis, quæ omnia in pietatis, & charitatis opera diſtributa voluiſti, illud, inquam, corpus libentius deoſcularer venerabundus, abſtergerem lacrimis, adprecarer animæ pacem, ſi quid leve ſupereſſet expiandum, atque hoc tibi pietatis poſtremo officio juſta perſolverem. Verum aliter viſum eſt, Vobis præcipue, Viri Reverendiſſimi, qui, ut

teſtata omnibus eſſet, quæ ſumma veſtrum omnium cum veſtro Antiſtite animorum conjunctio interceſſit, ſingularis benevolentiæ arctiſſimo vinculo colligata, Orationem a me poſtulaſtis, non fletum, non oſcula, non preces: eam tamen orationem, quæ & laudibus propter tot, tamque eximia extincti Præſulis ornamenta, & querelis propter noſtrum ex ejus interitu acerbiſſimum dolorem contineatur.

Nolim hic putetis, Auditores, laudantem me Antiſtitem noſtrum, immoraturum in iis, qaæ ipſe habuit communia cum ſuis; in præclara gentis nobilitate, in qua ille natus eſt, cujus ſplendor fere tam vetus, quam ipſa Patria, in illuſtribus majorum factis, quorum eximia exiſtunt monumenta, in magiſtratibus integre adminiſtratis, & legationibus ſplendide obitis, quorum ſuperſtes Fama, in ſummo denique dignitatum faſtigio, ad quod Familia hæc evecta fuit, quod, quia ſummum eſt, non niſi ſummis viris in bene inſtituta Republica tribui ſolet: quæ quidem omnia, ſicuti ge-

nus,

nus; & opes, & gratia, jure hæreditario derivantur in suos. Ista enim cum sint cognatis omnibus communia, neque nostra parta nobis virtute, sed relicta fortuna; non sunt singularia laudis argumenta, nisi in iis, quos immatura ætate sublatos, credi possit, domestica exempla, si vixissent, sequuturos fuisse. Eum laudo virum, in quo omnia sita erant ornamenta pietatis, probitatis, integritatis, sapientiæ, in quo summa animi moderatio, in quo virtutes omnes elucebant; ut etiamsi non in ea natus esset Familia, non rebus præclare gestis majorum, non ipsorum magnitudine commendatus; tamen eo illum suæ egregiæ dotes provexissent, ut pauci admodum essent cum ipso aut vitæ innocentia, aut recte factis comparandi. Ea enim Auditores, prætermitto tempora, quibus tanta virtus alibi effulsit, ut celerius accedam ad nostra: taceo, quæ audivimus, ut dicam, quæ vidimus. Narrabunt de te, Optime Antistes, Cives tui, quæ pie, quæ prudenter, quæ laboriose, quæ utiliter gessisti Venetiis, in ea amplissima Urbe,

cum

cum ſacris initiatus omnem tibi aditum ad terrena faſtigia, ad humanam magnitudinem intercluſiſti: narrabunt, quam frequens verſareris in Templis, quanto ſtudio Convenientibus Chriſtiana dogmata explanares, quanta pietate ſacris intereſſes, quanta charitate ſua confitentibus crimina, aſſiduitate prope immani, ſemper adeſſes; quanta cura ægrotos inviſeres, & inopes levares: narrabunt, quanta præcipue vigilantia, quanto ſucceſſu depravatas mulieres, facti tandem pœnitentes, a nefaria conſuetudine ereptas in tutiſſima honeſtatis tamquam arce collocandas curares, ampliſſimo erecto Domicilio, tuis partim ſubſidiis, tuis partim laboribus comparatis, adjutas deinde fuiſſe opibus, ſervatas induſtria. Iſta, Auditores, fuere primordia tantæ virtutis. In iſtam ſanctitatis ſemitam ingreſſus eſt, laborioſum iſtud vitæ genus ſuſcepit Adoleſcens præcipue inter Optimates natus, & hos eximios, ſtipatus commoditatibus, allectus externis blandimentis, quem putaviſſent omnes, non alios labores, non alias

cu-

curas ſubiturum fuiſſe, quam quæ ducunt ad gravia Reipublicæ munera, aut ab ipſorum recta adminiſtratione nunquam disjunguntur. Narrabunt iſta Veneti, & majora: nos noſtra prædicabimus, ſed non omnia. Vix Eccleſiæ hujus Antiſtes a ſummo Pontifice Clemente duodecimo Laurentius e Ponte renuntiatus fuit, ultro poſtulante Pontificis ad Venetos Legato, quem ſola movit tantarum virtutum admiratio; vix ejus rei fama ad nos pervenit; cum ſtatim quædam ingens oborta lætitia eſt, paſſim geſtientibus non ſolum eccleſiaſticis viris, ſed ſingulis etiam Civitatis ordinibus, commotæ quadam futuræ tranquillitatis præſenſione, eo tempore præcipue, quo reliquiæ quædam diſcordiarum ſupererant, quæ quamvis graviſſimo Principis judicio conſopitæ fuiſſent, non tamen ſatis pacatis animis, ut fit, extinctæ. Fama creſcebat in dies, non inanibus rumoribus evulgata, ſed ſolida virtutum prædicatione ſtabilita; & certis recte factorum argumentis. Tandem aliquando jucundiſſima dies eluxit

(tam

(tam illa jucundiſſima , quam hæc miſerrima !) qua novi Præſulis adventu vota omnium expleta , qua licuit nobis præſentem intueri , cujus abſentis tanto deſiderio tenebamur ; licuit alloqui , & audire loquentem . Superavit tunc expectationem eventus ; majorem admirati ſumus quem magnum expectabamus . Emanabat ex illo oris quædam ſuavitas , neque vulgaris : blandus ſermo, non tamen a dignitate disjunctus ; ex quibus qualis eſſet animus facile intelligeretur , & divinarent omnes , eum ſe adſequutos Antiſtitem, in quo gravitas cum comitate, auctoritas cum manſuetudine commiſcerentur. Tunc effuſæ mutuo gratulationes, tunc fauſta omina, tunc totius Civitatis , & Ditionis prædicabatur felicitas . Tunc ampliſſimum illud Canonicorum Collegium , & univerſus Eccleſiaſticorum virorum conventus profitebatur , ſe adeptum fuiſſe ſingulari probitate Epiſcopum, ſedulum Sacrorum Tutorem : Civium Ordines ſapientem ſe ſuorum Conſiliorum moderatorem recepiſſe : Pauperes lætabantur

tur ſpe certa ſuæ inopiæ levandæ: Litteræ etiam noſtræ præſidium ſibi tutiſſimum in tanto patrono pollicebantur. Expectationem tam ingentem, qui nondum illum noverant, metuebant, ut ſuſtinere, tuerique poſſet, qui noverant, non metuebant: timorem ſuſtulere facta ipſa etiam expectatione majora. Vitæ innocentiam, morum integritatem, conſtantem pietatem per annos fere triginta in illo omnes admirati ſumus, ut nihil niſi pium, niſi ſanctum, niſi integrum aut ab ipſo, aut de ipſo unquam intelligeremus. Ecquis ſibi porro minus pepercit in laboribus ſubeundis, & incommodis tolerandis, non ſolum dum firma uteretur valetudine, ſed etiam dum imbecillior factus ex repentino caſu, non ex ſenectute, quæ ſola in conſiliis, in maturitate, in providentia deprehendebatur; non in ſuſcipiendis rebus, non in tractandis, aut tranſigendis? Summo mane quotidie ſurgebat, qui prius ſuis poſt uſitatas preces opportune dimiſſis, ad multam noctem poſtea ſolus orando, & meditando

vigi-

vigilarat: Sacrum faciebat oriente Sole, ſacrum audiebat, ut deinceps omnia auſpicato procederent: Nec mora, exhibebat ſe poſtulantibus cum ad Sacra, tum ad Civilia: Non horæ præſtitutæ, non dies: totus erat omnibus, & ſemper, atque ita ſingulis, ut ab aliis curis expeditus omnino in tanta curarum mole videretur. Excipiebat omnes humaniter, gradus diſtinguebat gradu honoris, & dignitatis, non facilitate, & beneficiis. Si quid temporis vacabat, legentem, aut ſcribentem, ſæpe etiam orantem, nunquam certe nihil agentem inveniebant ſui: & ſi quando rogabant, ut tam aſſiduam, tam laborioſam vitam aliquantulum remitteret; ſemper intentum frangi arcum ſolere: reſpondebat: *ſe eſſe Epiſcopum*. O vere aurea verba! o digna tanti Præſulis ſententia; quæ ſola eſſe poſſit eximiæ ipſius virtutis apud poſteros monumentum, & mirificum aliis ad imitandum exemplar! Hilari ſemper vultu erat, & æquali; non levia faſtidiebat, non gravibus deterrebatur: præſto erat

con-

consilio, remedio, præsidio, subsidio. Improbos contracto supercilio, severitate sermonis excipiebat primo aspectu, paulatim suavitate indolis detrahebatur ad molliora: incipiebat judex, desinebat Pater; ut nisi perfrictæ frontis, & desperatæ vitæ fuissent; aut emendati, aut pudentiores dimitterentur. Vitium oderat, ut evelleret; non vitiosos, ut emendaret. Instruebatur mensa suis magis, quam sibi, non opiparis, non exquisitis cibis; non quod lautitiam, & splendorem non novisset in mensa, quod in statis, & solemnibus conviviis inspiciebatur, sed quod noverat; non decere Episcopum sumtuosam, & exquisitam. Vestitus illi fuit, qui dignitatis decus tueretur exterius, interius autem corpus obtegeret, non ornaret. Supellex ad nitorem, non ad ostentationem: Familia numero, & cultu decenti, non nimia, non elegantior; cætera omnia ad mediocritatis normam conformata. Insidebat enim animo Pauperum Familia longe major, in qua multo laudabilius Ecle-

cleſiæ patrimonium deponeretur, qui quotidie obſidebant Atria turmatim, quibus ipſe manu ſua, vel aliena quotidianam ſtipem largiebatur. Inſidebat tanta nuditas puerorum ſenum, femellarum, quam tegebat quotannis veſtibus pluſquam ſexcentis: inſidebant vacuæ menſæ, thalami ſine lectis, eorum præcipue, quorum pudor inopiam circumſcribebat parietibus domus, neque vulgari aut indolis verecundia, aut generis conditio patiebatur: quas omnes familias aut omnino, aut ex parte clandeſtino ſubſidio ſuſtentabat; ne forte ex intolerabili anguſtia paulatim cum pudore honeſtas etiam abjiceretur. Dico nota omnibus, quæ timerem, ne vel arti, vel ſtudio tribuerentur, ſi alibi dicerem, quam Cenetæ, ubi clariora lumina tantarum virtutum illuxere. Dico in hoc Templo, quod tam frequenter honeſtabat præſentia ſua, ſive ſolemnia ſacra faceret, vel iis intereſſet; ſive oraret ad Populum ardore tanto; ſive alios audiret orantes; ſive divina recogitaret myſteria provolu-

tus

tus in genua ante aras, pro nobis maxime deprecaturus. Dico in hac Urbe, cujus Ecclesias invisebat tam sedulo, diei horis etiam ferventioribus, quo præsertim tempore Christiana rudimenta tradebantur, ut recto ordine pergerent omnia, ut dociliores pueri fierent, attentiores tam præclaro exemplo magistri: admonebat salubriter, hortabatur benevole, munusculis etiam alliciebat. Atque ut aliquid etiam de me dicam: Magno ipse suffundebar pudore, quoties pro meo munere, scholarum nostrarum quibusdam per annum distributis experimentis, invitabam Antistitem, multo majoribus impeditum curis: ille vero, contracto tempore vel somni, vel quietis, quod non multum erat, expediebat mature omnia etiam incommodo suo, nunquam tamen alieno, ut nobis adesset, non solum de rebus Theologicis, aut Physicis, de Oratoria facultate, sed etiam de Grammaticis tricis, de studiis puerilibus, de solis voculis disputaturis. Dico in hac eadem Urbe, in qua solemne

ha-

habuit, quod ad ægrotos deferebatur Eucharistticum Chriſti corpus, ſingulari proſequi pietate, cujus exemplo tota commota Civitas longo ordine ſequebatur: Qui paulo poſt morituri erant, cumulare Pontificia indulgentia, quocunque anni tempore, quocunque die, quacunque hora: hortari ad extremum agonem, & ſi opus eſſet, non niſi defunctos dimittere. Sed hæc, & ſimilia non Cenetæ ſolum poſſem dicere, ut credita eſſent; alibi etiam invenirent fidem. Nonne totius Diœceſeos incolas teſtes haberem orationis meæ, late tantarum virtutum diſperſo lumine? qui ſive, ille publice, ſive privatim perluſtraret Oppida, perluſtraret Pagos, morum innocentiam, vitæ labores, animarum ſtudium, curas, vigilias admirabantur; ſapientiam, ſuavitatem, charitatem, liberalitatem experiebantur. Confirmaret quæ dicerem ea cura, & vigilantia, qua minoribus proſpexit Eccleſijs, iis eligendis Paſtoribus, quos ante noverat, probitate, doctrina, conſilio, rebus geſtis excelluiſſe,

ut

ut nunquam apud ipſum gratia, commendatio, ambitus valuerit, neque effecerit, ut digni minus, minuſque meriti ijſdem Eccleſijs præponerentur. Confirmarent Religioſi viri, quos identidem in totam Diœceſim dimittebat, alebatque de ſuo; ut ſi forte in aliqua ejus parte tenebrarum aliquid, ſi quid ſocordiæ, aut ſtuporis, ſi qua prava conſuetudo arripuiſſet incolas, ſi divina alicubi charitas refriguiſſet, cæleſtium doctrinarum lumine inſtruerent ignaros, emendarent pravos, ſocordes inflammarent: Ille vero ſubſequebatur, curarum ſocius, ſeu potius auctor, laborum, vigiliarum; ut præter alia obita munia ſua, in audiendis præcipue Confitentium criminibus, non diei diſtinctis intervallis, ſed ſola ſæpe ſuperveniente nocte, non ex tædio, ſed ex ſolitudine, non defatigatus, ſed vacuus unquam ceſſaret. Confirmarent ſanctiſſimæ leges promulgatæ, quæ tuerentur Eccleſiaſticam diſciplinam: Confirmaret aut inſtitutus, aut amplificatus ſacrorum cultus. Confirmat

cer-

certe omnia ingens illa patientia, quam in hoc tam diuturno, tam moleſto morbo ſemper oſtendit; ſenſa illa pietatis, quibus libenti animo vitam Conditori ſuo, a quo acceperat, reſtituebat, propter aliorum vigilias, & labores etiam longiorem; ſingularis illa benevolentia, & Charitas, qua excipiebat convenientes, aſſidenteſque ad lectulum; ſumma noſtrum omnium cura, ut quaſi ſecurus de ſua, ſollicitus tantum de noſtra ſalute videretur; illa tandem anxietas, ne quem, proficiſcens ipſe ad illud cæleſte Beatorum Concilium, ~~alieno a ſe animo hic~~ in terris relinqueret: Confirmat dies iſta triſtiſſima, quæ nobis tam ſanctum Antiſtitem, Parentem tam benevolum, tam munificum ſuſtulit Benefactorem: Suſtulit nobis, ſuſtulit iis, quos ab hæretica pravitate, a judaica perfidia eripuit, ereptos amplexus eſt, aluit alios opibus ſuis, alios ſubſidiis ſua induſtria comparatis: cujus quidem acerbitatis, quæ non illius eſt, qui pro ſua integritate, & benefactis, jam

æter-